



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**CONCILIO||RVM QVATVOR GENE=||ralium. Niceni.
Constantinopolitani. Ephesini. et Calce=||donensis. Que
diuus Gregorius magnus tanq[uam]|| quatuor Euangelia
colit ac veneratur.||**

Merlin, Jacques

Coloniae, 1530

VD16 M 4842

Conciliu[m] Carthag. tertiu[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72934)

Concilium Carthaginense secundum. Fo. LXXVIII

XI ¶ Victor ep̄s Abziriditanus dixit, roboranda est Ecclesiastica disciplina, ne quisq̄ ep̄o-
rum alterius plebes vel diocesim sua ip̄ortunitate pulsare debeat, q̄ hoc facere tētauerit quē-
admodū coercēdus est. Genedius ep̄s dixit, & lex sancta phibet, & ipsa veritas definit non
debere quenquā aliena concupiscere. Proinde quid etiam vobis omnibus placeat propria
voce signate, ab vniuersis episcopis dictum est, placet secundum diuinæ legis & sancti Euan-
gelij authoritatem, vt nemo nostrum alienos limites transgrediatur.

XII ¶ Numidius ep̄s Massilitanus dixit, aliqui ep̄i vsurpatōe quadam existimant contem-
pro primate cuiuslibet prouincię, siue ad desiderium populi ep̄m ordinare sine literis ad se pri-
mæ cathedræ manantibus, neq; postea acceptis, quid de hoc statuit sanctitas vestra. Genedi-
us ep̄s dixit, quoniam communis est honorificentia quæ vnicuiq; seruari oportet, id ipsum
fraternitati vestræ conuenit pronuntiare, ab vniuersis episcopis dictum est, placet omnibus,
vt in consilio primatē cuiuslibet prouincię tam facile nemo præsumat, licet cum multis epi-
scopis in quocunq; loco sine eius, vt dictum est, præcepto ep̄m ordinare, si autē necessitas fue-
rit tres ep̄i in quocunq; loco sint cum primatis præcepto ordinare debeant episcopum.

XIII ¶ Genedius ep̄s dixit, oīa ergo quæ à vestro cętu gloriosissimo statuta sunt, placet om̄i-
bus custodiri, ab vniuersis ep̄is dictum est, placet vt custodiant ab oībus, Genedius ep̄s dixit:
Si (qd' non opinamur) ab aliquo fuerint violata, qd' statuitis qd' fieri debeat. Ab vniuersis ep̄is
dictū est, q̄ contra suā p̄fessionē vel subscriptionē venerit, ipse se ab hoc cętu separabit, Gene-
dus ep̄s dixit, gratulemur dño nostro p̄stante quod, p̄ statu Ecclesię Catholicę cūcta nos salu-
bri consilio seruanda decreuimus. Et ideo quæ ab omnibus sunt dicta p̄pria debemus subscri-
ptione firmare, ab vniuersis episcopis dictum est, fiat, fiat, & subscriperunt.

Incipiunt capitula concilij tertij Carthaginen.

- 1 ¶ Vt comprouinciales episcopi de pascha suum inquirent primatem.
- 2 ¶ Vt per singulos annos Concilium fiat.
- 3 ¶ Vt Episcopus priusquam ordinetur, Canones agnoscat.
- 4 ¶ Vt leuitæ & virgines ante viginti quinque annos non consecrentur.
- 5 ¶ Vt sacramentum cathecuminis non præbeat.
- 6 ¶ Vt baptismum mortuis vel Eucharistia non detur.
- 7 ¶ Vt Episcopus accusatus, vbi vel infra quod tempus examinetur.
- 8 ¶ De presbyteris & diaconibus quanti episcopi eos audiant.
- 9 ¶ Vt clerici publica iudicia non appellent.
- 10 ¶ Si à quoquam ab alijs iudicibus Ecclesiasticis ad alios iudices & Ecclesiasticos maio-
ris authoritatis prouocatum fuerit non obesse prioribus diuerfas sententias profe-
rentibus.
- 11 ¶ Vt filij clericorum ad spectacula non accedant.
- 12 ¶ Vt clericorum matrimonijs infideles non socientur.
- 13 ¶ Vt clerici de rebus suis nihil infidelibus conferant.
- 14 ¶ Vt clerici filios suos à sua potestate exire non sinant, nisi ætate & moribus cōpro-
batos.
- 15 ¶ Vt clerici non sint conductores vel negotiatores.
- 16 ¶ Vt clerici non vsurarij sint.
- 17 ¶ Vt cum clericis extraneæ fœminæ non cohabitent.
- 18 ¶ Vt clerici non ordinentur, nisi omnes qui cum eis sunt, fideles existant.
- 19 ¶ Vt clerici cum ad pubertatem venerint, aut coniugium, aut castitatem profiteantur.
- 20 ¶ Vt plebes alienas alius Episcopus non vsurpet.
- 21 ¶ Vt nullus Episcopus alienum clericum audeat retinere vel ordinare.
- 22 ¶ Vt nullus clericus ordinetur, nisi fuerit probabilis.
- 23 ¶ De precibus & orationibus.
- 24 ¶ Vt in sacrificio tantum panis & calix offeratur.
- 25 ¶ Ne clerici vel continentes ad viduas vel virgines soli habeant accessum.
- 26 ¶ Vt primæ sedis Episcopus princeps sacerdotum non appelletur.
- 27 ¶ Vt clerici tabernas non ingrediantur.
- 28 ¶ Vt Episcopus sine formata metropolitani longius non proficiatur.
- 29 ¶ Vt missa à ieiunis celebretur.
- 30 ¶ Vt nullus in Ecclesia conuiuetur.
- 31 ¶ Vt pœnitentibus iuxta peccatorum modum pœnitentia detur.
- 32 ¶ Vt presbyter præter iussa vel absentiam episcopi non reconciliet pœnitentes.
- 33 ¶ De custodia sacrarum virginum.

¶ De bapti-

Concilium Carthaginense tertium.

- 34 ¶ De baptizandis & grotis qui iam loqui non possunt.
 35 ¶ Ne apostatis vel histrionibus conuersis pœnitentia negetur.
 36 ¶ Vt presbyter chryisma non conficiat.
 37 ¶ Vt clerici sine necessitate in aliena ciuitate non immorentur.
 38 ¶ Vt non liceat fieri translationes Episcoporum.
 39 ¶ Vt non præsumant duo Episcopi ordinare Pontificem.
 40 ¶ Vt dum Episcopus eligitur (si contradictores habeat) quinque sacerdotes conueniant.
 41 ¶ Vt per singulos annos conuenientes Episcopi ad Concilium etiam de paschalis solemnitate à primatu suo informantur.
 42 ¶ Vt non accipiat alium Episcopum plebs quæ in diocœsi semper subiacebit.
 43 ¶ Vt qui plebe sua contempta ad Concilium venire detrectant, & plebem & honorem
 44 ¶ Vt clericum alienum nullus sibi præsumat Episcopus ordinare. (amittant.
 45 ¶ Vt episcopus qui plures habet clericos ei qui eget ad ordinandum postulatus largiat.
 46 ¶ Vt Episcopus qui in diocœsi factus solum eam plebem teneat qua exiit ordinatus.
 47 ¶ Vt præter scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine diuinarum scri-
 48 ¶ De baptizatis à Donatistis. (pturarum.
 49 ¶ Vt ea quæ quis in Ecclesiastico positus gradu acquisiuit, Ecclesiæ conferantur.
 50 ¶ Vt gesta Concilij episcoporum subscriptionibus confirmantur.

Incipit concilium Carthaginense tertium habi-

tum ab Episcopis numero. 97. Era. 435.

D AESARIO & Attico viris clarissimis consulibus Caleñ. septēbris Carthagine in secretario Basilicæ restituta cum Aurelius episcopus vnà cum coepiscopis suis consedisset astantibus etiam diaconibus cōstituta sunt hæc quæ præsentī Concilio definita sunt.

E ¶ Capitulum Primum. ¶ Placuit ergo in principio ppter errorem qui sæpe solet oboriri vt omnes Africane prouinciæ episcopi obseruationem paschalem ab Ecclesia Carthaginensi curēt accipere.

F II ¶ Similiter placuit, vt ppter causas Ecclesiasticas quæ ad pncipiū plebium sæpe veterascunt singulis quibusq; annis Concilium vocet, ad quod oēs prouinciæ quæ primas sedeshnt de cōcilijs suis binos aut tñtos

elegerint epōs mittāt, vt & minus inuidiosi minusq; hospitibus sumptuosi existant, vt cōgregato conuētū plena possit eē autoritas, de tripoli autē ppter inopiam epōꝝ vnus ep̄s veniat

G III ¶ Itē placuit vt ordinatis ep̄s vel clericis prius ab ordinatoribus suis decreta Concilioꝝ auribus eoz inculcent, ne se aliquid contra statuta Concilij fecisse pœniteat.

H IIII ¶ Item placet vt ante viginti quinque annos ætatis, nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur, & vt lectores populos non saluent.

I V. ¶ Item placuit per solemnissimos paschales dies sacramentum cathecuminis non detur, nisi solitum sal, quia si fideles p illos dies facta non mutant, nec cathecuminis oportet mutare.

K VI ¶ Item placuit vt corpibus defunctorum Eucharistia non detur, dictum est enim à domino, accipite & edite: Cadauera autem nec accipere possunt, nec edere. Cauēdum est etiam, ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat, quibus nec Eucharistia dari licitum est

L VII ¶ Aurelius ep̄s dixit, quisq; epōꝝ accusat ad primates puicię ipsius causam deferat accusator, nec à cōione suspēdat, cui crimē intēdit, nisi ad causam suā dicendam electoz iudiciū die statuta lris euocatus minime occurrerit, hoc ē, infra spatiū mēsis ex ea die qua eum lris accepisse cōfiterit qđ si aliquas veras necessitatis causas pbauerit, quibus eū occurrere nō potuisse manifestū sit, causæ suæ dicēdæ intra alterū mēsem integrā habeat facultatē, vtz tamdiu post mēsem scđm non cōicet, donec purget. Si autē ad conciliū vltē anniuersariū occurrere noluerit, vel ibi causa eius terminet, ip̄e in se damnatōis suæ sniam dixisse iudicet. Tēpore sanē quo non cōicet nec in sua Ecclesia vel prochia cōicet, accusator autē eius si nunq̄ diebus causæ dicēdæ defuerit, cōione nō remoueat. Si vero aliqui defuerit, subtrahēs se, restituto in cōionē ep̄o remoueat à cōione accusator, ita tñ vt nec ipsi adimat facultas causę pagēdę, si se occurrere voluisse, s; nō potuisse, pbauerit. Illd' vero placuit, vt cū agere cepit in epōꝝ iudicio si fuerit accusatoris psona culpabilis ad arguēdū nō admittat, nisi pprias cas nō tñ eccl'asticas, si asserere voluerit.

M VIII ¶ Si autē p̄bi vel diaconi fuerint accusati adiuncto sibi ex vicinis locis, pprius ep̄s legitimo numero collegaz q̄s ab eodē accusati petierint, i. vna secū in p̄bi noie ep̄i sex, in diaconi tres, q̄ ipsoꝝ causas discutiant, eadē dieꝝ & dilationum & à cōione remotionū & discussione psonaz



personarum inter accusatores & eos qui accusantur forma seruata, reliquorum autem clericorum causas etiam solus episcopus loci agnoscat & finiat.

IX. ¶ De diuersis ordinibus ecclesie seruientibus, vt si quis in causam criminis incurrerit, & abnuerit iudicium ecclesiasticum debet periclitari, & vt filij sacerdotum spectacula secularia non adeant. Item placuit, quicquid episcoporum, presbyterorum, & diaconorum, seu clericorum, cum in ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel ciuili causa fuerit commota, si derelicto ecclesiastico iudicio, publicis iudicijs purgari voluerit, etiam si pro ipso ei fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali actione. In ciuili vero perdat quod euicit, si locum suum obtinere maluerit, siquidem ad eligendos iudices sibi de ecclesie consortio dubitat, vileque ecclesie consortium iudicat, qui de vniuersa ecclesia male sentiendo de iudicio seculari poscit auxilium, cum priuatorum causam apostolus etiam ad ecclesiam deferri, atque ibi determinari precepit.

X. ¶ Hoc etiam placuit, vt a quibuscumque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos vbi est maior autoritas fuerit prouocatum, non eis obstitit quorum fuerit soluta sententia si conuinci non potuerint, vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate, aut gratia deprauati. Sane si ex consensu partium iudices electi fuerint, etiam a pauciore numero que constitutum est, non liceat prouocari.

XI. ¶ Vt filij sacerdotum vel clericorum spectacula secularia non exhibeant, sed nec spectent, quamquam quidem ab spectaculo & omnes laici prohibeantur, semper enim christianis omnibus hoc interdictum est, vt vbi blasphemi sunt, non accedant.

XII. ¶ Item placuit, vt filij vel filiae episcoporum vel quorumlibet clericorum gentilibus vel haereticis aut schismaticis matrimonio non iungantur.

XIII. ¶ Vt episcopi vel clerici in eos qui catholici, christiani non sunt, etiam si consanguinei fuerint, per donationes rerum suarum nihil conferant.

XIII. ¶ Vt episcopi vel clerici suos filios a sua potestate per emancipationem exire non sinant, nisi de moribus eorum fuerint & aetate securi, vt possint ad eos iam propria pertinere peccata.

XV. ¶ Item placuit vt episcopi & presbyteri & diaconi vel clerici non sint conductores, neque procuratores, neque villo turpi lucro, vel inhonesto negotio victum quaerant, quia respicere debent scriptum esse, nemo militans deo, implicat se negotijs secularibus.

XVI. ¶ Vt nullus clericorum amplius recipiat quam accommodauerit, si pecuniam, pecuniam suscipiat, si speciem, eandem speciem quantum dederit accipiat, & quicquid aliud, tantum quantum dederit accipiat.

XVII. ¶ Vt cum omnibus omnino clericis extraneae feminae non cohabitent, sed solae matres, auae, materterae, amicae, sorores, & filiae fratrum aut sororum, & quae cumque ex familia domestica necessitate, etiam antequam ordinarentur, iam cum eis habitabunt, vel si filij eorum iam ordinatis parentibus uxores acceperunt, aut seruis non habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere necessitas fuit.

XVIII. ¶ Vt episcopi, presbyteri, & diaconi non ordinentur, priusquam omnes qui sunt in domo eorum Christianos catholicos fecerint.

XIX. ¶ Placuit vt lectores cum ad annos pubertatis venerint, cogantur, aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.

XX. ¶ Placuit vt a nullo episcopo vsurpentur plebes alienae, nec aliquis episcoporum supergrediatur in diocesi suam collegam.

XXI. ¶ Vt clericum alienum, nisi concedente eius episcopo, nemo audeat vel retinere vel promouere in ecclesia sibi credita, clericorum autem nomen etiam lectores & psalmistae & hostiarum retinent.

XXII. ¶ Vt nullus ordinetur clericus non probatus, vel episcoporum examine vel populi testimonio.

XXIII. ¶ Vt nemo precibus vel patrem pro filio, vel filium pro patre nominet, & cum ad altare assistitur, semper ad patrem dirigatur oratio, & quascumque sibi preces aliquis describit, non eis vtatur, nisi prius eas instructiones fratribus contulerit.

XXIII. ¶ Vt in sacramentis corporis & sanguinis domini nihil amplius offeratur quam ipse dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aquae mixtum, nec amplius in sacrificijs offeratur quam de visis & frumentis.

XXV. ¶ Vt clerici vel continentes ad viduas vel virgines, nisi iussu vel permisso episcopi & presbyterorum, non accedant. Et hoc non soli faciant, sed cum clericis vel cum his cum quibus episcopus iusserit vel presbyter. Nec episcopi aut presbyteri soli habeant accessum ad huiusmodi feminas, nisi aut clerici praesentes sint aut graues aliqui Christiani.

¶ Vt pri-

Concilium tertium Carthaginense.

- S** XXVI. ¶ Ut primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis episcopus.
- T** XXVII. ¶ Ut clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediatur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.
- V** XXVIII. ¶ Item placuit ut episcopi trans mare non proficiantur, nisi consulto primæ sedis episcopo siue cuiuscunq; prouinciæ primatæ, ut ab episcopo præcipue possit sumere formatam vel commendationem.
- X** XXIX. ¶ Ut sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario quo cœna domini celebratur. Nam si aliquorum meridiano tempore defunctorum siue episcoporum siue cæteror; commendatio facienda est, solis orationibus fiat si illi qui faciunt, iam pransi inueniantur.
- Y** XXX. ¶ Ut nulli epi vel clerici in ecclesia cõuiuent, nisi forte transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiantur. Populi etiã ab hmoi conuiuis quantũ fieri põt prohibeantur.
- Z** XXXI. ¶ Ut pœnitentibus secundum peccatorum differentiam, episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.
- A** XXXII. ¶ Ut presbyter inconsulto episcopo non reconciliet pœnitentẽ nisi absente episcopo necessitate cogente cuiuscunq; pœnitentis publicum & vulgatissimũ crimen est quod vniuersam ecclesiã cõmouerit, ante absidam manus ei imponatur.
- B** XXXIII. ¶ Ut virgines sacræ si à parentibus à quibus custodiebantur priuatę fuerint, episcopi prouidentia vel presbyteri vbi episcopus absens est in monasterio virginum vel grauioribus sceminis commendentur, ut simul habitantes, inuicem se custodiãt, ne passim vagantes ecclesiæ ledant opinionem.
- C** XXXIII. ¶ Ut ægrotantes si pro se respondere non possunt cum voluntatis eor; testimonium sui dixerint baptizentur, similiter & de pœnitentibus agendum est.
- D** XXXV. ¶ Ut scenicis atq; histrionibus certisq; hmoi personis vel apostaticis cõuersis vel reuersis ad dñm gratia vel reconciliatio non negetur.
- E** XXXVI. ¶ Ut presbyter inconsulto episcopo virgines non consecret, chrisma vero nunquam conficiat.
- F** XXXVII. ¶ Ut clerici in aliena ciuitate non immorentur, nisi causas eor; iustas episcopi loci vel presbyteri locor; peruiderint.
- G** XXXVIII. ¶ Illud aut suggerimus mãdatum nobis, quod etiã in Capuensi plenaria synodo videt statutum, quod nõ liceat fieri rebaptizationes & reordinationes vel translatões episcopor;. Nã Cresconius villæ Regiensis eps plebe sua derelicta Tiburnensem inuasit ecclesiam, & vsq; hodie cõmonitus scdm qd' statutum fuerat relinquere eandẽ quã inuaserat plebẽ cõtēmpsit, aduersus statuta q̄ pronũciata fuerant, cõfirmata quidẽ audiuius, sed petimus scdm quod nobis mãdatum est, ut dignemini dare fiduciã, quo necessitate ipsa cogente liberum sit nobis rectorẽ prouinciæ secundum statuta gloriosissimor; principũ aduersus illũ adire, ut qui miti admonitõĩ vřæ acquiescere noluit & emendare illi citũ, autoritate iudiciaria protinus excludat. Aurelius eps dixit, seruaata forma disciplinæ nõ æstima bitur appetitus, si vřa charitate modestius, cõuentus recedere detractauerit, cum fuerit suo cõtēptu & cõtūmacia faciẽte etiã autoritate iudiciaria cõuentus. Honoratus & Vrbanus epi dixerũt, hoc em õibus placet, ad vniuersis epi dictum est, iustum est, placet.
- H** XXXIX. ¶ Honoratus & Vrbanus epi dixerunt, & illud nobis mandatũ est, ut quia proximæ fratres nostri numidiæ duo epi ordinare p̄sumperunt pontificẽ nõ nisi à duodecim censeatis episcopor; celebrari ordinationes. Aurelius eps dixit, forma antiqua seruabitur, ut nõ minus q̄ tres sufficiant qui fuerint à metropolitano directi ad ep̄m ordinandum, p̄pterea quia in Tripoli forte & Arguze interiacere vident barbare gẽtes. Nã in Tr. poli ut asseritur epi sunt quin; tantummodo & possunt forte de ipso numero vel duo necessitate aliqua occupari, difficile est em vt de quolibet numero omnes possint occurrere. Nunquid debet hoc ipsum impedimento ecclesiasticæ esse vtilitati? Nam & in hac ecclesia dignatẽ sanctitas vestra humaniter conuenire crebro ac pene per diem dominicam ordinandos habemus. Nunquid nã frequenter potero duodecim vel decẽ vel multominus aduocare episcopos, sed facile est mihi duos adiũgere meæ paruitati episcopos vicinos, quapropter cernit mecum charitas vestra hoc ipsum obseruari non posse.
- I** XL. ¶ Et illud est statuendũ, ut qñ ad eligendũ ep̄m cõuenerimus si qua cõtradictio fuerit oborta, q̄ talia facta sunt apud nos, nõ p̄sumãt ad purgandũ eũ qui ordinatus est tres iam, sed postulent ad numerũ supradictor; duo vel tres, & in eadẽ plebe cui ordinãdus est discutiat. Primo psonæ contradicentiũ, postremo illa etiã q̄ obñciunt p̄tractent, & cũ purgatus

purgatus fuerit sub cōspectu publico, ita demū ordinē, si hoc cū vestra sanctitatis aīo cōcor
dat robore vestra dignitatis responsione, ab vniuersis episcopis dictū est, placet satis.

XLII. ¶ Honoratus & Vrbanus episcopi dixerunt, Quoniam de concilio quædam tractata
noscuntur, adiicimus etiā de die paschæ nobis esse mandatū, vt de ecclesia semper Carthagi-
nēsi (sicut præ dictū est) instruamur, & non sub Augusto temporis spatio, Aurelius episcopus.
Si sanctitati vestra videtur, quoniam nos spondisse iam superius meminimus, vt singulis
quibusq; annis ad tractandū conueniamus, & cū conuerimus in vnū, tunc diuulgabitur san-
ctus paschæ dies per legatos qui fuerūt in concilio, Honoratus & Vrbanus episcopi dixerūt,
Nunc de presenti cœtu petimus, vt literis prouinciam nostram de hac die informare digne-
mini, Aurelius eps dixit, Ita fiat necesse est.

XLIII. ¶ Epigonius eps dixit, Multis in concilijs hoc statutū est a cœtu sacerdotali, vt ple-
bes quæ in diocēsis ab episcopis ordinantur quæ episcopos nunq̄ habuerūt, non nisi cum
voluntate eius episcopi a quo tenentur, proprios accipiāt rectores, i. episcopos, at vero quia
nonnulli quodam dominatu a deo cōmunionem fratrum abhorrent, vel certe cū eleuati fue-
rint, quasi in quadam arce tyrannicam sibi dominationē vendicāt, quod pleriq; stolidi aduer-
sus ep̄os suos ceruices erigūt presbyteri, vel cōiuijs sibi cōciliantes plebē vt psuasū maligno
& illicito eosdē velint sibi collocare rectores, quod quidē insigne mentis tuæ tenemus votū
frater religiose Aureli, q̄ hæc sæpe oppressisti nō curando tales petitiones, sed propter eorū
malos cogitatus & prauē cōcinnatā cōcilia hoc dico nō debere rectore accipere eā plebē quæ
in diocēsi semp̄ subiacta, nec vnq̄ propriū ep̄m habuit, quapropter si vniuerso sanctissimo
concilio cōplacet hoc qd̄ profecutus sum, confirmet, Aurelius ep̄s, fratris & cōsacerdotis no-
stri profecutioni non obfistit, sed hoc me fecisse, & factus esse, confiteor.

XLIII. ¶ Circa eos sane qui fuerint concordēs, non solū circa ecclesiā Carthaginensem, sed
circa omne sacerdotale confortiū, Sunt enim pleriq; conspirantes cū proprijs plebibus, quas
decipiunt (vt dictū est) earū scalpentes aures ad seducendū vitiosæ vitæ homines, vel certe in-
flati & ab hoc confortio separati, qui putant propriæ plebi incubandū, & nonnunq̄ conuenti
ad conciliū venire refugiant & detractant sua forte ne prodantur flagitia metuentes, dico si
placet contra hos non tantū diocēses non esse seruandas, verū etiam & de propria ecclesia,
quæ illis male fuerit omnino amittendū, vt etiam autoritate publica reiiciantur, atq; ab ipsis
principalibus cathedris remoueantur, oportet enim vt qui vniuersis fratribus ac toti cōcilio
inhæserit, non solū sua iure integro, sed & diocēses possideat, at vero qui sibi met putant ple-
bes suas sufficere fraterna dilectione contempta, nec tantū diocēses amittant, sed (vt dixi) eti-
am proprijs publica careant autoritate, vt rebelles, Honoratus & Vrbanus dixerunt ep̄i, sum-
ma prouiso sanctitatis tuæ coheret mentibus singulorū & puto omnium responsione ea q̄ pro-
sequi dignatus es probanda, vniuersi ep̄i dixerunt, placet, placet.

XLIII. ¶ Epigonius eps dixit, In multis concilijs hoc statutū est, etiā nūc hoc cōfirmatum
est vestra prouidentia frēs charissimi, vt clericū alienū nullus sibi præcipiat ep̄s, præter eius arbi-
triū cuius fuerit clericus, dico aut̄ Iulianū qui ingratus est dei bñficijs per meā paruitatē in se
collatis ita temerariū & audacē exiitisse, vt eū qui a me baptizatus est cū esset puer egentissi-
mus mihi ab eodē commēdatū, cūq; multis annis a me aleretur atq; incretceret, hūc (vt dixi)
baptizatū in ecclesia mea per manū paruitatis meæ constat, idē in diocēsi Appabensi lector
esse cœperat, imō annis ferme duobus legerat, nescio quo cōtemptu humilitatis meæ idē Iulia-
nus arripuit, quē dicit quasi propriū ciuem sui loci Nazaritani me incōsulto viurpare, nam &
diaconū illū ordinauit, hoc, s. pareat, hæc licentia vobis beatissimi frēs, sin minus tā impudens
cohibeatur, nec se misceat cōiōni cuiusq;. Numidius eps dixit, Si nō postulata neq; cōsulata tua
dignatiōe id videat fecisse Iulianus, iudicamus oēs inique factū atq; indigne, quapropter nisi
idē Iulianus correxerit errorē suū, & cū satisfactiōe eundē clericū quē fuit ausus ordinare, re-
uocauerit tuę plebi, cōtra statuta concilij faciens, cōtumacia sua separatus a nobis excipiet iu-
diciū, Epigonius eps dixit, ætate pater & ipsa promotione antiquissimus vir laudabilis frater
& collega noster Victor vult hanc petitionē generalem omnibus effici.

XLV. ¶ Aurelius episcopus dixit, Sermonem meum admittite fratres, contingit nōnunq̄
vt postulentur ab ecclesijs quę prepositis egent vel episcopis vel presbyteris, & tamē memor
statutorum id sequor vt conueniam episcopū eius, atq; ei inculcem quod eius clericus a qua-
libet ecclesia postuletur, sed forte in hodierno non reluctati sunt, & ne quando cōtingat vt re-
luctentur cū fuerint a me in hac causa postulati quę scitis multarum ecclesiarū & ordinandorū
causam sustinere, iustum est ergo vt quemlibet confacerdotū conueniā cū duobus cōsortio
nostro vel tribus testibus, si vero indeuotus extiterit, qd̄ cēset charitas vestra faciēdū, ego em̄
cunctarū ecclesiarum dignatiōe dei (vt scitis fratres) sollicitudinē sustineo. Numidius eps dixit

Concilium primū Carthaginēse.

Fuit hæc semper licētia huic sedi, vnde vellet & de cuius nomine finisset conuentus p̄ de-
fiderio cuiusq; ecclesiæ ordinaret ep̄m. Epigonius ep̄s dixit, bonitas sequestrat possibilita-
tem. Minus enim p̄sumis frater, & cum te bonū & clementē oībus reddis, habes enim hoc
in arbitrio, satis est vt satisfiat p̄sonæ vniuscuiusq; ep̄i, in prima tantūmodo conuentiōe.
Si autem quodlibet huic sedi vindicādum fuerit sibi arbitratus, necesse habes tu omnes eccle-
sias suffulcire. Vnde tibi nō potest atē damus sed etiam assignamus vt liceat voluntati tuæ
semp̄ tenere quæ voles, vt p̄positos plebibus vel ecclesiis cōstitutas qui postulati fuerint,
& vnde voles. Posthuanus ep̄s dixit, deinde qui vnū habuerit, nunquid debet ei vnus
p̄b̄ ipse auferri? Aurelius ep̄s dixit, sed ep̄s vnus esse potest, p̄ quem dignatione diuina p̄-
byteri multi cōstitui possunt, vnus autē ep̄s difficile inuenitur cōstituendus, quapropter si
necessariū ep̄atui quis habet p̄b̄m, & vnū vt dixisti frater habuerit, & ipsum ad promotio-
nem dare debet. Posthuanus ep̄s dixit, ergo si habet alius abūdātes clericos debet mi-
hi alia plebs subuenire. Aurelius ep̄s dixit, sane quomodo ecclesiæ alterius tu subueris,
persuadebitur illi qui plures habet clericos, vt vnum tibi largiendū largiatur.

F XLVI. ¶ Honoratus & Urbanus ep̄i dixerūt, audiuius cōstitutū vt diocēses nō me-
reant ep̄m accipere, nisi cū consensu eius sub quo fuerint cōstitutę, sed in prouincia n̄ra cū
aliqui forte in diocēsi cōcedente eo ep̄o in cuius potestate fuerāt constitutę ordinati sunt
ep̄i, etiā diocēses sibi vindicāt, hoc & corrigi charitatis vr̄æ iudicio & inhiberi de cætero
debet. Epigonius ep̄s dixit, singulis ep̄is seruātū est qđ decebat, vt ex massa diocēsum nul-
la caperetur, vt p̄prium ep̄m habuisset, nisi ip̄e consensum adhibuisset cōcedendi, sufficiat
em̄ si cōsenferit vt eadē diocēsis permissa propriū tm̄ ep̄m habeat, & cæteras sibi nō vin-
dicet diocēses, quæ exēpta de falce multaz; sola meruit honorē apostolatus suscipere. Au-
relius ep̄s dixit, nō dubito charitati vestræ oīm placere eum qui in diocēsi cōcedente ep̄o
qui matricē tenuit solā eandē retinere plebē in qua fuit ordinatus.

G XLVII. ¶ Itē placuit, vt p̄ter scripturas canonicas nihil i ecclesia legat sub noīe diuinaz;
scripturaz;. Sunt autē canonicę scripturę. i. primus Genesis, secundus Exod⁹, tertius Leuiti-
cus, quartus Numeri, quintus Deuteronomiū, sextus Iesu Naue, septimus Iudicū, octauus
Ruth, nonus Regū libri 4. Paralipomenon libri duo, Iob vnus, psalteriū Dauidicū, Salomo-
nis libri. 5. libri duodecim prophetaz;. Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Iudith
Hester, Esdre libri 2. Machab. libri 2. Noui autē testamēti. 27. Euāgelioz; libri. 4. Actū A-
postolorū liber vnus, Pauli ap̄l̄i ep̄istolę 14. eiusdē ad Hebręos vna. Petri ap̄l̄i duę. Iohan-
nis ap̄l̄i tres, Iudę ap̄l̄i vna, & Iacobi vna, Apocalipsis Iohānis liber vnus qui sunt 27.
hoc etiam fratri & confacerdoti nostro Bonifacio, vel alijs eaz; partiū ep̄is pro cōfirman-
do isto canone innotescat, quia à patribus ista accepimus in eccl̄ia legenda, liceat etiā legi
passiones martyrum cum anniuersarij dies eoz; celebrentur.

H XLVIII. ¶ Placuit vt consulamus fratres & confacerdotes nostros Siritiū & Simplicia-
num de solis infantibus q; baptizantur penes eosdē ne quod suo non fecerint iudicio cum
ad ecclesiam dei salubri proposito fuerint conuersi parentum illis error impediāt ne pro-
uehantur sacri altaris ministri, quibus inferis Honoratus & Urbanus ep̄i, legati p̄-
uincię Mauritanie Sitifensis dixerūt, iam dudum cū apud sanctitatē vestram allegaremus
scripta dilati sumus ea contēplatione quod fratres nostri aduenire possent de Numidia le-
gati, sed quia nō parui dies sunt quibus expectati minime venerunt vltra p̄mittere quæ
nobis mandata sunt à nostris coep̄is nō oportet, atq; ideo fratres suggestionē nostram li-
bēter admittite, de fide enim Nicæni tractatus audiuius, vnz; & de sacrificijs inhibendis
post prandīū, vt à ieiunis sicut dictum ē offerant, & tunc & nunc cōfirmatum est.

I XLIX. ¶ Placuit vt ep̄i, p̄b̄ri, diaconi, vel quicunq; clerici qui nihil habētes ordinātur,
& tēpore ep̄atus vel clericatus sui agros vel q̄cunq; p̄dia nomine suo cōparant tanquā re-
rum diuinaz; inuasionis crimine teneantur, nisi admoniti ecclesiæ eadē ipsa cōtulerint. Si
autē ipsis proprie aliquid liberalitate alicuius vel successione cognationis venerit, faciāt in-
de quod eoz; proposito congruit, Quod si à suo proposito retrorsum exorbitauerint, ho-
nore ecclesiastico indigni tanquam reprobi iudicentur.

K L. ¶ Aurelius ep̄s dixit, quoniam igitur vniuersa arbitror fuisse tractata, si omnia cum
animo vestro conuenerunt, sermone vestro cuncta roborate, Vniuersi ep̄i dixerunt, omni-
bus hæc placuerunt, & hæc nostra subscriptione firmamus, & subscripserunt Aurelius e-
p̄iscopus ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensu, & relecto subscripsi, Epigonius
ep̄s Bulensis regionis subscripsi, Augustinus ep̄s plebis Ippone subscripsi, Similiter & omnes
ep̄i, xliiij. numero subscripserunt.

¶ Explicit concilium Carthaginense.

¶ Incipi-